QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVII. DECEMBRIS,

M. IOANNE PIETRE Doctore Medico, moderatore.

848

An inclinante febrium intermittentium acceſſione peropportuna purgatio?

O.

OPTIMVS quiſque Medicus ab omni ſtatim febre pertimeſcit, & ſiue continenter infeſtet, quem ſemel apprehendit, ſiue aliquid ei ſolatij per breue intermiſſionis ſpatium indulgeat, ne ſe imprudente æger opprimatur, ſedulò cauet: at plerunque intermittente febre laborantibus in vtramque aurem dormiſſe, inconſultis Medicis, oppidò nocet; dum falſa ſpe vitæ in poſterum beatioris eluſi, nec opinantes intereunt: neq; enim veriſimile eſt, quod vulgò dicitur intermittentes febres nullas eſſe exitiales. Certè illæ longiùs à corde, quàm continuæ enaſcuntur; verùm ſi fortaſſe humor, in quo primùm accenſæ ſunt, quodam æſtu in principem partem abripiatur, neque inde auelli, neque partis ipſius genio tam facilè poſſit mitificari, quàm ſi eòdem ſanguis è maioribus vaſis exiliiſſet. Etenim inflammatus ſanguis, aut corruptus in amplioribus venis continuam febrem generat; intermittens verò excitatur de rancida quadam veluti ſanguinis fœce, in aliquo ignobili viſcere temporis longinquitate collecta, & in flammas aliquandò erūpente; vt qui medicinā vtriq; facere voluerit, ſanguinis detractionē continuæ potiùs adhibeat, intermittentem verò purgatione citiùs ſe amoliturū ſperet.

O.

OMNIS, quæ recta ratione inſtituitur, purgatio naturæ molliſſimo tempore obſecundare debet. Friuola & vana eſt, quæ nullum omninò humorem agit aut commouet: noxia & periculoſa, quæ non ſatis ante perſpectas corporis vires frangit: quippe quantamcunque adhibeas in eligendo purgante medicamento cautionem, quin aliquantillum negotij naturæ faceſſas, præſtare non poſſis. Quantam igitur ſtragem edes, imprudentiùs ad purgationem accedas? quæ, niſi naturæ commodo adhibita ſit, veneni vice fungitur. Idcirco duo maximè ad purgationem æſtimanda ſunt, ægri, morbique natura: altera hominis vires naturali temperamento, ætate, & conſuetudine comprehenſas explicat: mali altera vehementiam, humoremque illius authorem, atque eiuſdem quandam veluti aut viriditatem, aut maturitatem. Anni verò cœlique temperies neminem quenquam prudentem Medicum à purgatione remorabitur. Quandoquidèm in purgando hoc vnum palmarium eſt, bene intellectis ægri viribus, confectum iam, maturumque humorem morbificum educere; qualis eſt qui declinante morbo reſidet in corporibus, cùm natura expectare videtur ſubſidiariam Medicinæ operam, medio ipſa vt plurimùm in conatu reſtitans.

F.

FEBREM intermittentem variant diuerſi humores, qui putreſcunt in viſceribus: eamque primùm triplicem faciunt: quotidianam ſingulis diebus à pituita excandeſcentem, tertianam à bile flaua alternis tantummodo, & quartanam ab humore melancholico quaternis quibuſque repetentem: ac deinde variis inter ſe permiſti modis innumeras pene conflant febrium intermittentium formas, crebreſcentibus interdum mirificè acceſſionibus. At febris intermittens qualiſcumque ſit, tanquam multiplex compoſituſque morbus eſt; nam toties morbum iterat, quoties, quaſi præſtituta die, redit acceſſio, circuitus pars deterior, in qua hominem febris habet. Ipſa in quatuor, reliquorum morborum in morem, tempora tribuitur à Medicis principium, incrementū, vigorem, & declinationem. Morbi autem cuiuſuis principio omnia adhuc cruda ſunt: crudus verò humor tandiu dicitur, quandiu putredine vehementer à naturâ abalienatus, quaſi conſtrictam oppreſſamq; eam tenet: quo tempore, ſi quis fortè Medicus obtrudat ægro purgans medicamentum, nihilo plus agat, quàm ſi hominem iugulet; namque proſtratam à morbo naturam ſua arte confecerit: hinc cautum eſt Hippocraticis legibus, ne quis crudos humores de corpore amoliendos ſuſcipiat, niſi quemadmodum furiatæ libidine belluæ huc illucque incerto curſu vagantur, ſic illi in corporibus, cæco morbi impetu acti, curſitent, ac metus ſit, ne in principem aliquam partem irruant: tunc enim aperienda eſt humoribus ad exitum ianua, neque tamen vehementioribus remediis, tanquam fuſtibus, abigendi ſunt, ne æger cum ægritudine malè pereat, ſed vis medicamenti tàm cautè cum robore naturæ committenda eſt, vt ipſius magis ſtudio, quàm morbi odio agere videamur.

N.

NATVRAM in opere faciendo magiſtram, ac ducem ſequi omnes Medicos æquum eſt, quæ nunquam niſi inuita morbi initio quicquam emittit: ſi quid enim tunc prodeat, in ſymptomaticæ, quod aiunt, potiùs, quàm naturalis vacuationis loco habendum eſt. Intermittentium, & continuarum febrium initio frequenter euenit, vt aliquid quacunque ratione erumpat: an inde ſubleuatur æger? & mitiore febre vtitur? an potiùs longè peiùs ſe habet? & quò malignior morbus eſt, eò vehementior & copioſior ſub eius aduentum vacuatio accidit? at in febris incremento, quamuis natura ſe paruper erigat, quid poſſit per ſe præſtare non apparet, quanto minùs irritata medicamento. Verùm poſtquam ventum eſt ad ſummum, & cum morbo fortiter natura decertat, graue peccatum fuerit artificis potionem impingere, intentamque pugnæ naturam aliò reuocare, vt, diuiſis pugnans cum morbo & medicamento viribus, faciliùs concidat & obruatur. An vnquam obſeruatum eſt hoc tempore naturam ſalutarem aliquam vacuationem ſuſcepiſſe, vt eius exemplo ad vacuandos humores excitemur? In ſola quidèm morbi declinatione nos ad purgationem natura vocat, quæ tunc maximè ſuo marte conatur humores excernere, quos reliquo morbi tempore excoquendo demulſit. Hoc in ſingulis intermittentium febrium aeceſſionibus agere natura conſueuit, atque, inclinante morbo, partem ſemper aliquam, febrilis humoris quacumque via extrudere; quaſi ſua præſentia vrgeret opus, & Medicos ſui muneris officiique ſubmoneret.

T.

TEMPORE declinationis rem omnem ægrorum in vado eſſe nemini planè conſtat, neq; omittenda eſt propter ſecuritatem purgatio: imò aut cōmodius, aut magis neceſſarium ad purgationem tempus nullum inuenias. Nihil enim ad purgationem conuenientius, quàm ſequaci, neque refractariolo humore naturam alacrem, & de victoria exultantem ſociam habere, atque adiutricem in egerenda morbi cauſſa, quæ per ſolum ventrem exportanda eſt: ſudoribus enim & vrinis quam minimùm ad perfectam grauiorum morborum curationem proficitur. Accedit eo tempore purgandi commoditati ſumma quædam neceſſitas; nam fatiſcente iam morbo ſi humori ſpatium dederimus ad nouum incendium excitandum, penè afflictam perfuncto periculo debilitatamque naturam huic alteri multo maiori, ipſa ſi velit ſalus, vix eripiat. In febribus etiam intermittentibus, quæ deinde expectatur acceſſio, aut nulla erit, aut longè leuior, ſi inclinante priore, viſcerum ſordes, quantas potueris, omnes euerreris. Id omittas in paulò grauiori febre, dubium incertumque ſæpe relinquas futuræ acceſſionis euentum, &, vt bellè cum ægro agatur, intermittens ſibi continuam comitem adiunxerit. Febris enim intermittens inflammationi ſuppuraturæ conſimilis eſt: hanc ſi nondum purè confecto in ſumma conflagratione vulneres, gangræna obueniat: niſi maturam ſecueris, putreſcendo latiùs proſerpet & manabit, actis quaſi cuniculis, pus, & graui aura deinde cor afflando febrem aliquando pariet non planè vacuam periculo. Sic febris intermittens purgatione mirandum in modum primo acceſſionis tempore irritatur, in maxima videlicet commoti humoris cruditate, qui ſi excoctus ſub declinationem negligatur, differaturque in alterum diem ipſius purgatio, moræ compendium fuerit, ſequentis acceſſionis intolerabilior vehementia, & totius quoque morbi aut longinquior, aut calamitoſior exitus.

Ergo inclinante febrium intermittentium acceſſione peropportuna purgatio.

Proponebat Lutetiæ MICHAEL MARES Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. XXXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Cappon.	*M. Claudius Guerin.*	*M. Claudius Geruais.*
M. Nicolaus Richard.	*M. Petrus Yuelin.*	*M. Franciſcus Guenaut.*
M. Petrus Mercier.	*M. Petrus Richer.*	*M. Ioannes Merlet.*

295.